



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in  
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1650**

Cap. 1. De nomine, origine, & definitione Synodi Dioecesanae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9534**

## DE NOMINE ORIGINE,

## Et Definitione Synodi Diocesanae.

## P A R S P R I M A.

## Cap. I.

- V**M partes nostrae sunt precipuae, ut Praxim Diocesanae Synodi celebrandae describamus in ijs, quae ad Theoriam potius atinent, non immoramur.
- 2 Est enim Synodus, Graece, Concilium latine, seu coetus, vel Congregatio. cap. 1. §. Synodus 1. c. dist.
  - 3 Et licet originem habere videatur ab Apostolis Act. 15. quia tamen ibi conuenerunt Apostoli, qui erant Episcopi, & seniores: deducimus originem Diocesanae Synodi libentius ab Act. 21. ver. 18. Ann. D. 58. vbi sub Iacobo Episcopo Hierosolymitano omnes seniores, Graece praesbyteri, fuerunt collecti, in causa S. Pauli. & Nora, quod de primo Apostolorum Concilio loquuti sunt hoc modo: Visum est Spiritui Sancto, & nobis, qui ritus adhuc perseverat apud nos, ut Concilia Provincialia, & Generalia dicantur congregata in Spiritu Sancto: quod prohibetur dici de Synodo Diocesana. qua de re monitus fuit quidam Episcopus à S. R. E. Cardinalibus, qui ante Decreta Synodalia eo modo loquendi fuerat usus, & praelo cum iisdem verbis dedit.
  - 4 Diocesana vero Synodus est Congregatio legitima, quam facit Episcopus cum Clericis sibi subditis in sua Diocesi, de ijsque in ea tractat, quae curiae suae pastoralis incumbunt, quae definitio satis aperte patet.

DE INDICATIONE SYNODI  
Diocesanae. Cap. II.

- S**olet iudici tribus modis, primo solemniter in die Epiphaniae, ex caeremon. Episc. lib. 1. cap. 31. nimirum intra Missarum solemniam, dum festiuitates anni solemniores denunciantur populo, post Euangelium ab Archidiacono, seu Canonico, vel Beneficiato, aut alio, iuxta consuetudinem loci, pluviali induto, in pulpito, vel vbi solet cantari Euangelium, iuxta formulam, & cantum, quae habentur in Pontificali par. 3. tit. De

publicatione Festorum mobilium. quidam Episcopi pleniorum formulam dederunt cantandam; sed à Pontificali nullo modo est recedendum.

Deinde in Calendario non pauci edici iubent diem ipsam Diocesanae Synodi, ea die, quae occurrit in Calendario; his, & similibus verbis. Fer. ij. Dom. iij. post Pascha Officium fit &c. Hac die conueniant omnes de Clero ad Synodum &c.

3 Per Edictum, duos ante menses, vel vnum saltem, ex caerem. Episc. loco cit. proposita schedula, manu Notarij, seu Cancellarij subscripta, Ecclesiae Cathedralis affixa valuis ad praef. scriptam formam in dicto caeremoniali, quam dabimus infra vnà cum alijs Synodalibus formulis in 4. par. cap. 2. p. 3.

4 Pleniori forma videntur, omnes, quam vide infra, ex Actis praesertim Ecclesiae Mediolanensis, & Nouariensis. par. 4. cap. 1. num. 4.

5 Addunt alij in calce Edicti Praemonitiones aliquas, ut Clerus accedat instructior ad actiones Synodales: quod arbitrio Episcoporum relinquuntur. Dabimus infra exemplum à Perusina Synodo desumptum, par. 4. cap. 2.

6 Quod si ob aliquod impedimentum sit proroganda Synodus, opportuno tempore id fiat, ut moneatur Clerus ad formulam infra praescribendam. par. 4. c. 1. num. 5.

## ANNOTATIONES.

## §. I.

- 1 IN Edicto quatuor contineri solent: Episcopus indicens; Clerus, cui indicitur, tempus, & locus Actionis Synod.
- 2 Episcopus intellige consecratum quod omnes fatentur: item electum, & confirmatum, ex Henrico Botro de Synodo par. 1. qu. 6. ver. secundo accessorie qui sequitur Innoc. in cap. transmissum de elect. quia conuocatio Synodi est meri imperij: item prouisum à Papa, nondum consecratum, dummodo suas bullas expedierit: ut probat Io. Ant. Massobrius trac. de Synodo Diocesc. 2. dub. 1. nu. 9. item eum, qui liberam sit adeptus possessionem Episcopatus: ex eodem Massobrio ibidem dub. 3.